

Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu. Marci 19: Discipulis ejus, et Petro, et 1 Cor. 9: Numquid non habemus potestatem mulierculam sororem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas? Utrouque loco Petrus communi cum discipulis et apostolis nomine comprehensus erat, et quia in eo aliquid supra cæteros erat præcipuum, seorsum nominatur, ex quo Petri apparet supra Apostolos alios excellentia. Hoc idem fecit Virgilius lib. 1, Æneid., qui Achillem è Danaorum genere separatim addidit post commune nomen.

Troas, reliquias Danaum ac immitis Achillis.

Sic etiam hoc loco Saül separatim nominatur ab aliis, qui Davidis aut delere vitam, aut extenuare nomen conati sunt, quia ille potentissimus erat, eoque ardore insequatur Davidem, ut neque locorum difficultate, neque ullis officiis abduci potuerit ab amore, studioque vindictæ, quominus illum ad mortem usque, et rabidum furorem insectaretur. Adde, quod tunc privatus erat, et inops homo David, qui in inimici sui finibus errabat, cui hostis potentissimus multis in locis moliebatur insidias, quas evitare magni negotii fuit, et beneficii planè divini.

Hic obiter notandum, quod faciunt nunc viri sancti, et fecerunt ante Christum et Apostoli, nempe ut in citandis Testamenti veteris testimoniis, non verba numerarent, aut verbum exprimerent de verbo, sed sententiâ expenderent, quas si ex citatis verbis essent assecuti, nihil præterea putabant esse quærendum. Quæ de re non semel sacri doctores et interpretes. Quod itaque sæpè in Testamento novo faciunt Apostoli, hoc idem fecerunt jam olim in Testamento veteri scriptores sacri; dum ex eodem Testamento aliquid aut explicant aut convertunt. Lege narrationes plurimas ab hominibus fidei dignissimis repetitas, et videbis servari quidem in oratione repetitâ sententiarum exactissimè vim et pondus; verba tamen, et sermonum ordinem mutari. Exempla sunt obvia, unum adducam, quia proximum est, ex c. lib. 3 Regum, ubi v. 37: *Quicumque die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Cui respondisse traditur Semei, v. 38: *Bonus sermo: sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus.* Hæc eadem Salomon repetit v. 42, et in libris Par. repetuntur plurima, quæ in libris Regum, aliis tamen verbis, et verborum figuris. In Testamento novo plurima sunt, et notissima exempla. Cum enim quatuor Evangelistæ ser-

mones, quos habuit Christus, quam sæpissime narrent, et in sententiâ eorum omnino consentiant, tamen in verbis sæpè, figuræque sermonis dissentire solent, et multa ab aliis sunt addita, quæ ab aliis fuerunt ommissa. Sic planè hic accidit, et in alio Psalmo lib. 1 Par. c. 16, qui deinde in Psalterium sive ab ipso Davide, sive ab aliquo alio collati sunt. Ille ordine est 17, hic 104, ubi multa mutata, detracta alia, neque eadem in Hebraico textu verba repèriuntur. Hujus rei causam illam esse arbitror, quia, sicut in verbis dierum regum Juda et Israel, multa videntur minus accuratè descripta, ex quibus libri postea Regum compacti sunt, ubi illa eadem habemus limata magis, et aliter disposita; sic etiam eum hæc David in Psalterium congresserit, musicisque cantanda præscripserit, limavit hæc diligenter, quæ antea stylo rudiore et calamo properante composuerat; et ideò multa in duobus hisce psalmis mutata sunt, alia sublata, neque tamen ideò mutata est sententiâ.

VERS. 2. — DOMINUS PETRÀ MEA, ET ROBUR MEUM, ET SALVATOR MEUS. In psalmo 17, addita est totius psalmi extrema conclusio, quæ ex tot officiis, quot in hoc cantico gratulatorio connumerantur, infert dignum esse Deum qui ametur ab omnibus, sibi certè dicit esse diligendum. *Diligam, inquit, te, Domine, fortitudo mea.* Ostendit autem id, quod statim in primo, gravissimoque certamine professus est, cum ad singulare certamen adhuc imperitus militaris negotii cum gigante descendit, ubi his sibi verbis felicem illius certaminis eventum promittebat: *Tu venis ad me in gladio, et hastâ, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, etc., et dabit te Dominus in manu meâ.* Ut autem Dominus tunc Davidem à gigante prostrato servavit incolumem, sic etiam ab hominibus aliis quos ad hunc usque articulum malevolos habuit, et infensos hostes: idque in hoc gratulatorio carmine profitetur. Et primùm variis metaphoris Dei in se fidelem protectionem amplificat, et invictum robur. Cætera sunt aperta; duo tantùm explicanda, *petra*, et *cornu*. Petra dicitur Deus, quia illa solida est et firma, si ullum aliud naturale, solidumque perfugium. Aut quia arcus, quæ sitæ sunt in petris, aut arduis scopulis, magis sunt expugnata difficiles, ut apparet in arce Sion, quam habitatores Jebusei à claudis et cæcis existimabant posse defendi. Seu certè, quia in Palæstinâ speluncæ sunt in præaltis rupibus, ad quas homines, quando sibi præclu-

sam esse vident ad salutem viam, in extremâ desperatione confugiunt. De quibus nos super Isaiam c. 2, n. 15, et docet Josephus, lib. 1 de Bello, c. 12. Sanè Idumæi, ut diximus super Abdiam, tutos se in petrarum cavernis fore arbitrabantur. Meminit, opinor, petra David, quia ipse sæpè urgente, et in venatici canis morem indagante Saule, in petrarum concava ingressus, Saülis rabiem et studium elusit. Quasi dicat: Non me petra, ejus antra subii, sed Dei fidelis providentiâ à Saule defendit. Quare cum me Saül militum undequaque coronâ cingeret, Deus mihi petra fuit.

VERS. 3. — ET CORNU SALUTIS MEÆ. Quomodo cornu potentiam, roburque significet, diximus lib. 1, c. 2, ad illud v. 1: *Exaltatum est cornu meum.*

DE INIQUITATE LIBERABIS ME. Hæc in psalmo 17 non sunt. Cum multa significet iniquitas, hic tamen aliquid significat adversum: quare ut peccatum interdum idem valet, quod peccati supplicium, sic etiam iniquitas idem est sæpè quod iniquitatis pœna. Sed fortasse hic iniquitas per metonymiam pro iniquo ponitur, sicut invidia pro invido. Quasi dicas: Liberasti me de homine iniquo, seu quod idem est, de illo, quem ad meum exitium instimulabat iniquitas et invidia.

VERS. 4. — LAUDABLEM INVOCABO DOMINUM, ET AB INIMICIS MEIS SALVUS ERO (1). In Ps. 17,

(1) *J'invoquerai le Seigneur digne de toute louange, et il me délivrera de mes ennemis.* David était persuadé par une foi ferme que quelques ennemis qui pussent se soulever contre lui, il en demeurerait victorieux, parce que le même Dieu qui l'avait toujours soutenu, le protégerait encore. Il était en cela bien différent de ce que nous sommes, et sa confiance était aussi vive que la nôtre est morte. Nous espérons en Dieu quand nous ne voyons rien qui nous menace; mais aussitôt que les maux nous pressent, nous nous décourageons, et nous entrons dans la défiance. Nous n'élevons point alors notre esprit vers Dieu, comme David, pour nous souvenir de combien de périls il nous a déjà tirés. Car c'est une partie de la reconnaissance que nous devons à Dieu, d'espérer qu'il nous protégera à l'avenir, parce qu'il nous a déjà protégés. Comme notre indignité n'a pas empêché qu'il ne nous fit grâce, elle n'empêchera pas qu'il ne continue à nous la faire encore, et nous devons considérer les miséricordes qu'il nous a faites tant de fois, comme un gage de celles que nous attendons de sa bonté. C'est le sentiment où était saint Paul, à l'imitation de David, lorsqu'ayant en vue tant de périls visibles et invisibles dont Jésus-Christ l'avait tiré par une protection pleine de miracles, il s'écrie: *Il m'a délivré; il me délivre, et il me délivrera. Eripuit, eripit, eripiet,* 2 Cor. 1, v. 10. (Sacy.)

Septuaginta legunt, *laudans*. Hebraicè eadem est vox *mehulal*, quæ variè notata, *laudans, laudabilemque* significat. Septuaginta videntur legisse *mehalel*, activè; quasi dicat: *Laudans, sive; cum laude invocabo Dominum.* Hieronymus autem *mehulal*, passivè, quod *laudabilem, seu laudatum* valet; sed est sensus idem. Juxta Septuaginta translationem in psalm. 17: *Laudando invocabo Dominum.* Oratio enim plerumque cum laude fit; laudamus enim prius Dominum, deinde illius auxilium imploramus. Unde laus sæpè pro oratione sumitur, ut observavimus ad illud Jeremi. 7: *Neque assumas pro eis laudem et orationem.* Cum autem à laude orationem ordiamur, optimè Hieronymus *laudabilem* transtulit; sicut hoc etiam loco Septuaginta, qui reddiderunt *ἀνευθεῖς*, id est, *laudatum*, quia laudato prius Domino, orationem ordimur. Quod si Deum eo, quem diximus modo, oret, præcedente laude, quæ Domini sibi promeretur benevolentiam, sperat in posterum David, futurum, ut ab inimicis suis salutem iterum ac sapius, et victoriam obtineat.

VERS. 5. — QUIA CIRCUMDEDERUNT ME CONTRITIONES MORTIS, TORRENTES BELIAL TERRUERUNT ME (1). In psalmo 17, *dolores mortis.* Incipit

(1) *Les douleurs de la mort m'ont assiégé; les torrents de Bélial m'ont épouvanté; les liens de l'enfer m'ont environné; les filets de la mort m'ont enveloppé.* Cette expression, si vive et si figurée, peut marquer au premier sens l'extrémité où David a été réduit, ou par la persécution de Saül, ou par la révolte d'Absalon. Mais parce que ce saint parlait en prophète, et à son égard et à celui des autres, cette même expression semble marquer, d'une manière beaucoup plus propre, les tristes effets que le péché a produits en lui, lorsqu'il s'est abandonné à sa passion. Car, comme Bélial, dans saint Paul, est opposé à Jésus-Christ: *Quæ conventio Christi ad Bélial?* la concupiscence est très-bien représentée par ces torrents de Bélial, qui sont les torrents du démon et du péché, qui environnent l'âme des liens de l'enfer, et qui l'enveloppent des filets de la mort.

David n'a plus appréhendé ni Saül, ni Absalom après la mort de l'un et de l'autre. Mais il savait que ce torrent intérieur, et cette source de toutes sortes de dérèglements qui vient de l'enfer, et y précipite les âmes, qui ne s'arrête que par la main du Tout-Puissant, et qui ne se sèche entièrement qu'à notre mort, était toujours prête à se répandre sur toutes les puissances de son âme et de son corps. C'est pourquoi il s'écrie: *J'invoquerai le Seigneur dans mon affliction, et il entendra ma voix de son temple.* David décrit dans la suite, avec des expressions très-hautes et très-figurées, de quelle manière Dieu s'est armé pour sa querelle, et a fait ressentir à ses ennemis les effets de sa colère. (Sacy.)

jam laudare Deum, dum ostendit quam fuerit ab inimicis graviter atque diu vexatus, et quomodo à rebus angustis, quæque nullum videbantur ad salutem exitum habituræ, non solum incolumis, sed etiam superior et victor semper emerit. Contritiones, seu dolores mortis illæ dicuntur, ex quibus à morte nullum sese ostentabat expeditum effugium; qui alii in locis dicuntur laquei mortis, laquei venantium, tauri pingues, vituli multi. *Circum-dederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Hæc, ut reor, Saülis persecutiones indicant; nam ab illo aliquando sic est tanquam à venatore objectis undecumque retibus conclusus, ut non videretur nisi assumptis pennis evadere potuisse. Atque ideò audiebat sæpè sive ab amicis, qui hortabantur benevolè, sive ab hostibus, qui omnia minabantur extrema, ut pennas sumeret, alioqui obtentas ab hoste potentiore casses non evasurus. Psal. 10, v. 1: *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigravit in montem sicut passer.* Spectat autem tempus illud, cum sese in vastos montium sinus, et cavernas abdidit; neque aberat longè Saülis exercitus, qui avido, sagaci atque anhelato spiritu occultas montium scrutabatur latebras. Cumque grave à Saule timeret infortunium, cum esset in speluncis Engaddi, lib. 1 Reg. c. 24, et apud Ziphæos c. 26, in colle Achilæ, sed præsertim cum in deserto Maon in coronæ modum cingebantur à Saülis exercitu, ex quo nullum videbat ab humano consilio mortis effugium, illum tamen Deus ab ipsis mortis faucibus expedit subito quodam nuntio perturbationis pleno, qui Saulem ad alia quædam curanda festinum evocavit.

TORRENTES BELIAL TERRUERUNT ME. In torrentibus, seu fluminibus significari exercitus, docuimus in nostris commentariis super Jeremiam ad illud c. 46, v. 7: *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit?* Sic Isaia c. 8: *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis, et c. 30: Spiritus ejus velut torrens inundans.* Est autem hæc ad subitos bellorum et præcipites appulsus accommodata translatio; maxime ea quæ à torrente sumitur, qui subito pluviales colligit aquas, illasque cum magno strepitu atque impetu præcipitat. Hæc sanè Maro lib. 2 Æneid., Græcorum exprimit repentinum impetum, qui urbem stravit luculentam, et optimè munitam.

Aut rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata læta boumque labores Præcipitesque trahit sylvas.

Et Silius Italicus l. 4:

*Ut torrens celsi præceps è vertice Pindi
Cum sonitu ruit in campos, magnoque fragore
Avulsus montis volvit latus, obvia passim
Armenta, immanesque ferae, sylvæque trahuntur
Spumea saxosis clamat convallibus unda.*

Sumitur autem hic torrens pro impetu, Belial autem pro homine, aut gentili, qui nunquam subiit legis jugum, quales fuerunt Palæstini, Idumæi, Ammonitæ, aut qui cum acceperunt, excusserunt à cervicibus postea, cum non tam ducuntur è lege, quam ab invidiâ, aut ambitione, aut ab aliis immoderatis animorum affectibus abducuntur. Qualis fuit Absalom, Achitophel, et alii, qui cum pudore ac fide, quam præstare integram regi debuere, humanitatem omnem abjecere. Quid sit Belial diximus ad illud l. 1, c. 2: *Porrò filii Heli filii Belial.*

VERS. 6. — FUNES INFERNI CIRCUMDEDERUNT ME, PRÆVENERUNT ME LAQUEI MORTIS. Sententia eadem, sed diverso dicendi modo per epexegetisim variata: iidem enim sunt *funes inferni*, quòd *mortis laquei*; notum est enim *infernum* interdum valere sepulturam et mortem. Dicuntur autem *funes*, sive *laquei mortis*, aut, sicut habet psalmus 17, *dolores inferni*, dolores sic acerbi, aut laquei ita frequenter et artificiosè dispositi, ut ad mortem, sepulturamque deducant. Hunc fortasse locum, aut alium similem intuebatur Petrus Aetor. c. 2, v. 24, cum de Christo dixit: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*, id est, doloribus, qui tantum habuerunt acerbatis, ut Christum ad mortem, sepulturamque deduxerint. Nam quòd pœnas damnatorum subierit, quod impiè hæreticorum nonnulli blasphemant, non probat locus ille Petri, nisi fortasse illis, qui ad impietatem simul etiam Hebraici sermonis usds et proprietatis ignoracionem addiderunt. Porrò illud, *solutis doloribus*, bellè facit cum funium laqueorumque vocabulo; hæc enim constringi dicuntur, innodari, et solvi.

VERS. 7. — IN TRIBULATIONE MEA INVOCABO DOMINUM, etc. In Psalmo 17, hæc in tempore ponuntur jam præterito. In Hebræo utroque loco est *ecra*, quæ vox temporis est futuri; atque ideò accommodatè ad textum dixit Hieronymus: *Invocabo, clamabo, exaudiet.* In psalmo verò 70: *Invocavi, clamavi, exaudivi.* Sed reverà idem est sensus, quem spectarunt Septuaginta magis quam verba. Quam ad rem observo si, conditionalem particulam, apud Hebræos sæpè subaudiri, quod docuimus ad illud Habacuc 3: *Ingrediatr putredo in ossibus*

meis, et subter me scateat; ego autem gaudebo, etc. Cujus sensum esse diximus: *Si ingrediatr putredo, etc., ego nihilominus gaudebo.* Et in illud Psalm. 69: *Infirmata est, tu verò perfecisti eam.* Id est, si infirmata fuerit, tu perfecisti. In utroque loco exemplorum à nobis productum est satis. Sic etiam hoc loco conditionalem particulam intelligo in hunc sensum: Si in tribulatione meâ invocavero Dominum, et ad Deum meum clamavero, et ipse exaudiet vocem meam. Quasi dicat: *Experientiâ didici, auditorum esse Deum vocem meam, cum clamavero, quia sæpè in tribulatione meâ clamavi, et exaudivit me, neque aliter futurum spero, quam factum esse video.*

ET EXAUDIET DE TEMPLIO SANCTO SUO VOCEM MEAM. Cum hæc à Davide aut scriberentur, aut cantarentur, nondum erat Deo alicubi terrarum templum erectum; primum enim, quod scimus illi fuisse constructum, Salomonium fuit. Sed templum dicitur domus quæcumque fuerit religioni, ac Deo consecrata, maxime si paulò sit ornatior, et illustrior. Sanè apud Latinos templum locum significat augustum, humanis etiam atque profanis actionibus destinatum, licet plerumque aliquid sonet religiosum et sacrum; quod etiam valet Hebraica vox *hechal*, quæ licet templum et sacras ædes plerumque significet, interdum tamen aliquid valet profanis etiam et negotiis popularibus commune. Qualis est curia, ubi consessus fiunt populares, et de rebus non sacris consultationes. Virgilius, lib. 7 Æneid.:

*Hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considerare mensis.*

Est præterea templum quicumque locus inauguratus et sacer: sicut cælum à Cicerone dicitur templum, quia in eo Jovis à gentilibus credebatur esse sedes. Ita Ennius:

*Contremuit templum magnum Jovis altitonantis.
Imò et locus ubi sepulcrum est, templum appellatur.* Sic Virgil. lib. 3 Æneid.:

*Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festis fronde revinctum.* Quia ergo tabernaculum consecratum erat Deo, jure vocari templum potuit, ubi Dei in terris præcipua sedes est, et familiare domicilium. De quo loqui videtur David, quando in Psalmis aut templi meminit, aut domus Domini; ex Græcis Patribus quidam in templo cælum intelligunt, Basilii, Theodoretus, Euthymius, Eusebius; quod non displicet. Et

quidem, ut diximus nuper, nonnulli cælum templum appellant, ut Ennius supra, et Terentius in Eunuchis, et plures alii. Vide Macrobius in Somnio Scipionis.

VERS. 8. — COMMOTA EST, ET CONTREMUIT TERRA. Quæ sequuntur ad versum usque 17, elegantissimam continent hypotyposim eorum, quæ Deus in defendendo populo suo, sive olim cum illum evocaret ex Ægypto, aut per solitudinem traduceret; sive cum Chananæis expulsus in terram introduceret promissionis; sive cum Samuelis tempore stravit Philisthæos ostensis admirandis de cælo prodigiis. An hæc Deus, quo tempore cum hoste tam domestico, quam externo confligeret David, ediderit prodigia, armatamque inimicorum potentiam suo diffilaverit spiritu ac virtute contuderit, incertum est, quia alibi aut nihil hæc de re, aut exiguum tantum aliquid audimus. Quod argumentum licet non omnino convincat in oppositum, quia multa videmus suis omissa temporibus, quando proprius videbatur narrationi locus quæ tamen alieniori loco per occasionem esse facta narrantur; ut quòd Ozia tempore gravis terræ motus contigerit, quod refert Amos cap. 1: *Ante duos annos terræ motus.* Quod item refert Zacharias cap. 14, ubi nos hæc de re pluribus: et plurima, quæ sequenti capite de fortibus, qui fuerunt in Davidis exercitu, commemorantur, quæ suo loco narrata non sunt. Vide quæ diximus supra lib. 1, cap. 2. Verum hæc tot et tanta, quæ planè admirabilia sunt in bellis à Davide susceptis, ubi alia ponuntur multa leviora, non videbantur omit-tenda.

Ego ita sentio, primum si minùs omnia, aliqua tamen horum contigisse in Davidis causâ, qui Deus, ut canit hoc loco Psaltes ipse David, impensè favit. Certè aliquid audimus ejusmodi cap. 5, v. 24, ubi sic Deus ad Davidem: *Cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philistim.* Quomodo Deus tunc egressus fuerit, castraque deleverit hostilia, nihil habemus eo loco, vero tamen est simile, egressum esse sicut alibi sæpè, et proxime Samuelis tempore cap. 7, v. 10, lib. 1: *Factum est autem cum Samuel offerret holocaustum, Philistim iniere prælium contra Israel. Intomuit autem Dominus fragore magno in die illâ super Philisthim, et exterruit eos, et cæsi sunt à facie Israel.* Sic fortasse accidit, neque id semel Davidis tempore, qui multa bella gessit se-

cunda, et brevi terram non solum Israelitidem et suam, sed etiam alienam sui nominis gloria et admiratione complevit. Quod si admiranda hæc edidit prodigia iudicante Samuele populum, et regnante Saule, ut liquet lib. 1, cap. 14, à v. 15, sanè hæc eadem Davide regnante contigisse non est improbable. Atqui, dices, cur hæc à sacro historico hic, et in libro Paralipomenon omitta? Responderem ego non fuisse intermissa prorsus, quandoquidem ab historico sacro in præsentis cantico narratur. Quia hæc verba historici sunt, et historicè ab ipso narrata, qui Davidis verbis, quæ ipsius tempore contigerunt, explicuit. Quæ David ipse postea, cum in Psalterium retulit, nonnihil addit, detraxit, aut mutavit; ita tamen, ut nihil fuerit de sententiâ, aut verborum pondere mutatum.

Sed etiamsi, dum gesta commemorantur Davidis, hæc ab historico prætermissa videantur, ideò, ut paulò ante diximus, negandum non est, hæc historico ac litterali sensu sub Davidis tempora contigisse. Plurima enim facta fuisse negaremus in Ægypto, atque deserto, quæ neque in Exodo, neque in Numeris habentur, si illa in Psalmis, aut in libris Josue, ac Judicum, in prophetis atque Sapientiâ non legeremus. Quis unquam in suis locis audivit, quæ sequenti proximè capite traduntur egregia de fortibus David?

Nihilominus eò magis inclinatur animus, ut credam contigisse quidem magna atque admirabilia toto tempore, quo regnavit, et pugnavit David; quod indicat satis et textus ipse, dicendique modus hujus cantici, et Davidis causa tantopere Deo commendata, et perpetuus quidam victoriarum cursus. Non tamen contigisse illa omnia prodigia, quæ hic ab historico et Psalte proponuntur: sed quia hæc antiqua mirabilia fuerint, et omnibus nota, abierunt jam apud Hebræos in commune proverbium. Quare cum aliquod proponitur magnum et admirabile beneficium, ex magnis illis prodigiis nomen assumitur utique ex alieno loco, cum aliquâ tamen proverbialis specie ac similitudine translatum. Probavimus hæc nos multis in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 43: *Ponam in deserto viam*, et ad illud cap. 48: *Non sitierunt in deserto*. Quo loco sermo est de reditu Judæorum à Babylone, in quo quidem magna à divinâ manu apparuerunt beneficia, quæ beneficiorum illorum explicantur nominibus, quæ in eundem populum contulit Deus, aut cum evocaretur ex Ægypto,

aut cum liber jam per desertum incederet, aut cum illum in terram promissionis induceret, cum tamen in eo reditu Babylonico nihil eorum, quæ ibi commemorantur; acciderit. Sic autem Deus cap. 45, v. 19: *Eccè ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthionès, quia dedit in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo*. Et cap. 48, v. 20: *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldeis, in voce exultationis annuntiate. Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob. Non sitierunt in deserto, cum educeret eos; aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ*. Ad hunc modum cum David magna Dei, ac multis modis illustrata vellet prædicare beneficia, proverbialem in modum illa enumerat, quæ maximè olim censebantur illustrata. Qualia Ægyptia fuerunt, et alia plurima sub illud tempus quo florere cœpit atque regnare gens Israelitica. Quomodò si quis amplificare velit hominem fortem, et rebus arduis atque præclarè gestis egregium, et ab Herculis certaminibus sumptâ similitudine dicat, ab illo Lernæam Hydram fuisse superatam, leonem occisum; extractum ab inferis Cerberum, et reliqua, quæ de illius fortitudine nugantur poetæ. Hæc mihi sententia potior. Plura nos in hanc sententiam diximus ad illud Zachariæ cap. 10, v. 11: *Et erit via reliquo populo meo, qui relinquetur ab Assiriis, sicut fuit Israel in die illâ, quâ ascendit de terrâ Ægypti*. Ubi aperiendum dicit esse mare; quod nihil significat aliud, quàm tollendum esse magnum aliquod impedimentum. Neque enim inter Babylonem, et Judæam, ad quam exilium remigrandum fuit, ullum intercedebat mare quod aperiri oporteret. Vide quæ nos ibi.

VERS. 8. — COMMOTA EST, ET CONTREMUIT TERRA; FUNDAMENTA MONTIUM CONCUSSA SUNT; ET CONQUASSATA, QUONIAM IRATUS EST EIS. Quando olim commota terra fuerit, incertum est; sed fuisse verè, et non tantum metaphoricè commotam, mihi non dubium. Ducor eâ ratione, quia sæpè montes et colles dicuntur commoti, liquefacti, aut talia passi, quæ sine convulsione ac motu fieri non solent. Job. cap. 9, v. 5: *Qui transtulit montes*. Psal. 96, v. 5: *Commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*. Et Psal. 67, v. 8: *Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est*. Idem iterum audimus Psal. 115, in quo idem tractatur argumentum, et eadem propè repetuntur verba

Cum autem ibi propriâ, et non figuratâ locutione mare retrò fugisse, et Jordanis abiisse retrorsum, et petra in aquarum stagna conversa esse dicantur, terra dicenda est mota fuisse, et exultasse montes sicut arietes. Exultare autem hoc loco non est lætari, sed ex suis sedibus convelli, et salire in alium locum, quo modo dixit Virgilius lib. 3 Æneid.: *Exultantque vada, atque æstu miscentur arenæ*. His penè verbis usus est Isaias, cum Dominum in Babylonios furentem inducit, et illorum subvertentem urbem, cap. 13, v. 15: *Super hoc cælum turbabo, et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus*.

Sed est difficile, quando Dominus iratus inimicis populi sui terram gravi convellerit motu, et à fundamentis usque concusserit. Mihi id modò placet, quod placuit ante in expositione Psal. 67, reverà montes esse divisos, cum populus Israeliticus ingressurus esset terram promissionis, et per loca scopulosa apertam esse expeditam viam; quemadmodum apertum est mare Rubrum, et sicco vestigio ab Hebræorum populo transmissum. Quod non obscure colligitur ex Numer. cap. 21, v. 15: *Castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi; siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, et recumberent in finibus Moabitarum*. Idem videtur esse traditum lib. Judic. cap. 5, v. 4: *Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est*. Ita sentit Abulensis in hunc locum, cujus verba hæc advocare libuit. « Terra, inquit, mota est, cum Deus exivit de regione Seir, quia realiter sic factum est. Nam quando Israelitæ intrare debuerunt in terram duorum regum Amorrhæorum per angustum introitum inter duos scopulos, erant multi Amorrhæi latentes in cavernositatibus scopulorum, ut occiderent omnes Israelitas transeuntes, et prohiberent transitum. Deus autem inclinavit scopulos usque ad terram, et oppressi sunt ibi omnes Amorrhæi, ut patet Numer. 21, cum dicitur: *Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, ita faciet in torrentibus Arnon; scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, et recumberent in finibus Moabitarum*. Istud miraculum de terræ motu ac-

cidit, quando exierunt Israelitæ de terrâ Seir. Nam parum post exitum de terrâ Seir, venerunt ad torrentem Arnon, ubi hoc fuit, quâ ista vicina sunt. » Hoc idem refert Historia scholastica, in lib. Numer. cap. 29, et ex eâ Dionysius et Lyra quæ videntur approbare. Vide in hanc sententiam plura in nostrâ explicatione ad illud Psal. 67: *Cum pertransires in deserto, terra mota est*.

VERS. 9. — ASCENDIT FUMUS DE NARIBUS EJUS, ET IGNIS DE ORE EJUS VORABIT: CARBONES SUCCENSIS SUNT AB EO. Sicut superiora illa fecit Dominus hostibus infensus, sic etiam quæ hæc metaphorâ fumi atque ignis significantur. Neque ego hæc dicendi formâ, quæ sanè furorem magnum atque offensionem præ se fert, aliud significari puto, quàm Deum in hoc hominum genus inflammatum esse graviter, et quod in illud conceperat acerbissimum virus vomuisse. Quod Psal. 17 explicuere Septuaginta, dum reddunt: *Ascendit fumus in irâ ejus*. Fumare nasum tam apud profanos, quàm apud sacros, furoris est naturale signum, de quo est illud Isaiæ cap. 2, v. 22: *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est*. Et vulgus Hispanorum in fumante naso magnam intelligit, et effervescentem iram, quæ foràs erumpit, et sui ipsius apertum præbet documentum. Sumitur, ut credo, metaphora ab equo et urso, aut ab aliis belluis, quarum in ardore ferocientis iræ fumant nares, maximè cum ab eo cohibentur impetu, ad quem incitato studio rapiuntur. Sic sanè de urso Martialis lib. 6, Epist. 63, ubi admonet quemdam ne hominem lacescat, etiam cum placatum videat, quia fieri potest, ut irritatus tumeat, et fumet nasus, sicut in urso videmus.

*Sed miserere tuâ, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum invisi tentaveris ursi,
Sit placidus licet, et lambat digitosque manusque:
Si dolor et bilis, si justa coegerit ira,
Ursus erit.*

De equo idem nos quotidie videmus, qui dum ardet ad pugnam, et clangentè lituo incitatur ad cursum, maximè si adductis habenis gestientem erumpere coerceas, non fumum solum, sed etiam ignem à naribus emittit. Sic sanè poetæ et varii, et sæpè Virgilius lib. 3 Georg.:

*Si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremat artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*
Claudianus de 4 Consul. Honorii:
Utque tuis primùm sonipes calcaribus arsit,